



~~11-58~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
11-58  
SIGNAT. clvccccxiii.



I. N. J.

PRÆLECTIONES PUBLICAS  
IN DIVINUM S. THEOLOGIÆ  
COMPENDIUM,  
EPISTOLAM  
AD ROMANOS,  
INDICIT

ABRAHAM CALOVIUS D.  
P.P. PRIMAR. CIRCULI ELECT.  
SAXON. SUPERINTEND. GENERALIS.

Craftini horâ IX.  
In Acroaterio Majori  
inchoandas.

---

WITTEBERGÆ  
Typis JOHANNIS BORCKARDI.  
ANNO M. DC. LXVII.



## S. LITERARUM CULTORIBUS S. P.

**P**Rudenter ab antiquis constitutum est, ut **LOCI COMMUNES** Theologici, in hac Academia, publicè à *Primo Theologo* doceantur. In antiquis est sapientia, Job. XII. 12. Non adeò facilis, ac protracta res est *σωμασποίσις* Sacra, ut vulgò iudicatur, seu *Theologia*, quam vocant, *Positiva* tradenda sit, seu *contro-versia fidei* juxta *Locorum seriem* explicandæ. Neq; suo defungetur officio, qui multiplicare solum quæstiones, & collectâ insigni farragine singulas vix delibare hic voluerit. Qui multa paucis complectuntur, laude digniores sunt. Utut longè plurima colligantur, si perfunctoriè tractentur omnia, hic solum ad auditorem redundabit fructus, ut *ex omnibus aliquid, ex toto nihil* assequatur. *Cacoëthes* illud multiplicationis quæstionum in *Scholasticis* à *B. Luthero*, in *Calvinianis* quibusdam à *Prædecessoribus nostris* meritò damnatum est. In paucis consistit Solidior Theologia, solidè modò pauca illa & explicentur, & adferantur; omniaq; ad unicum Theologiæ principium, *Scripturam Sacram*, revocentur. Quicquid enim extrâ illam adferatur, quantivis videatur pretii, in Theologiâ nullius est. *ἔδὲν ἂ τερ γραφῆς*, monebat *S. Petrus*, referente *Clemente Alexandrino*. *ἔτις λαλεῖ ὡς λόγια Θεῶ*; 1. *Pet. IV. 11* habetur. *Rationes*, quæ adducuntur, quibuscunq; verborum ampullis proponantur, nisi τῶ θεμελίῳ *Prophetarum*, & *Apostolorum* innitantur, in rebus fidei vanæ sunt, ac nullius roboris. *Autoritates Veterum* consensum docent, *Sensum* non firmant. *Testimonium* veritatis sunt, *fundamentum* esse nequeunt. Eundem ergò deniq; ad *Scripturam* est. *Necesse est*, inquit *Cyrillus Hierosolymitanus* *Episcopus* *Cateches. IV. de divinis fidei mysteriis nec sine S. Scripturis temerè quicquam tradere, nec simplici credulitate, & verborum apparatu circumferri; neq; mihi dicenti simpliciter credas, nisi demonstrationem annunciatorum ex S. literis accipias. Salus enim ipsa fidei nostræ non ex commentitiâ disputatione, sed ex demonstratione est divinarum Scripturarum.*

Quæ causa est, cur ad hoc unicum, ac proprium fundamentum,  
Sacras

*Sacras nempe literas in Theologiâ tradendâ, semper revoearim me-*  
*os. Extrâ quas in rebus fidei sapere verè est desipere. COMPEN-*  
*DIUM Theologiæ triplex potissimum est: BIBLICUM, ECCLES-*  
*ASTICUM, & SCHOLASTICUM. Quæ ita, docendi gratiâ, discrim-*  
*inamus. Atq; idem etiam de SYSTEMATE majori Locorum Theo-*  
*logicorum habendum. BIBLICUM exhibent ipsæ S. literæ, utpote*  
*quæ nos σοφίας, sapientes reddere possunt ad salutem, dicente A-*  
*postolo, 2. Tim. III. 15. Et hic scopus est universæ Scripturæ: quam*  
*Systema majus Theologicum Spiritus S. non immeritò dixeris. Χθὲς ἡ*  
*πρωὴν nata est distinctio inter librum Scripturæ, & disciplinam Theo-*  
*logicam. Quam nisi dextrè exposueris, Θεοδιδάκτου probare minimè*  
*poteris. Ut enim quæ methodum proponendi discriminentur, nihil*  
*aliud tamen Theologia tradere debet, quàm quod in libro Scripturæ*  
*habetur. Nec in Scripturâ quicquam est, quod non ad Theologiam*  
*pertineat, quæ revelatum est divinitus, ac fide suscipi debet divinâ.*  
*Finis omnium, quæ in Scripturâ proponuntur, est salus æterna. Ad*  
*quam etsi alia directè, alia indirectè faciant, omnia tamen eò referri*  
*debent. Idq; ex intentione DEI revelantis, qui aliâ fini S. literas non*  
*proposuit. Sed quum mixta sint historica dogmaticis, Evangelica le-*  
*galibus, naturalia etiam quandoq; supernaturalibus, moralia spiritua-*  
*libus, nec ordine eo, quem disciplina amant, sed qui pro re natâ com-*  
*modus visus est Spiritui S. proposita sint in S. literis, quæ ad Theo-*  
*logiam faciunt, methodicum Systema Theologia è S. literis collectum à*  
*Scriptura Sacrà distingvere solemus, non tamen materialiter ea dis-*  
*cernimus, aut quicquam in S. literis agnoscimus, quin ad Theologi-*  
*am pertineat; proprium sit.*

*Systematis Biblici minoris instar tùm alia sunt Scripta Biblica*  
*tùm imprimis aurea ad ROMANOS exarata Epistola: Quæ COMPEN-*  
*DIUM THEOLOGICUM non tam Romanæ, quàm Catholicæ, o-*  
*mnium temporum, omnium locorum, Ecclesiæ à S. S. consecratum,*  
*meritò habetur. Exhibet ea universam Theologiam, non verbis, quæ*  
*humana docet Sapientia, sed ἀποδείξει πνεύματι, καὶ δυνάμει. I.*  
*Cor. II. 4. Instar genuinæ & verè Apostolicæ Catecheseos B. Waltherus:*  
*Clavem Theologiæ Magnus Gerhardus vocavit: sed divinus Lutherus*  
*dignissimo eam ornavit elogio in divinâ super Eandem Præfatione:*

*¶*

Es scheint als habe S. Paulus in dieser Epistel wollen einmahl in die Kürz verassen die ganze Christliche/und Evangelische Lehr.

*Compendium Ecclesiasticum* purioris nostræ Ecclesiæ, quemadmodum eadem à Papatu ante sesquiseculum; divinâ gratiâ, Megalabri Lutheri operâ, repurgata est, dignius habetur nullum, quàm AUGUSTA illa Confessio fidei, quæ à JOHANNE Saxonix Electore, gloriosæ recordationis, & in fide *ὁμοψήφοις* Principibus, & Rebus publicis, in Magnis Imperii Comitibus, invictissimo Imperatori CAROLO V. anno superioris Seculi XXX. solemniter exhibitâ est. Hanc enim ut Symbolum fidei publicum suscipiunt, venerantur, ac tuentur Ecclesiæ universæ, quæ fidem suam unice Scripturis Prophetis, & Apostolicis superstruunt. SYSTEMATIS Ecclesiastici MAJORIS instar meritò habentur *Opera Megalabri*, quorum summa, quantum ad doctrinam fidei, & abusuum Papatus, à quibus repugavit fidem Catholicam, in isto peregregio Compendio tradita est, & comprehensa. De quo Viro Dei non piget adscribere *Nicolai Ambsdorffii* Nobilis Misnici, Professoris quondam Witebergensis, demum Episcopi Naumburgensis iudicium, quod legitur in Præfat. Oper. Luther. Tom. I. *Quod si veritas ingenuè & apertè exponenda est, ipsa collatio enarrationum me in hanc ducit sententiam, ut existimem, omnes Commentatores Veteres & recentes, etiamsi in unam massam consentur, & id, quod optimum est, ex iis decerpatur, non tamen cum hujus viri scriptis conferri & comparari posse. Non ignoro, quàm gloriosè hac dici videantur, & quàm multos hoc encomium Lutheri offendat, sed quoquo modo alii de hac constanti asseveratione judicent, ego sic statuo: Neminem tantâ præditum sapientia, fide, constantiâ post Apostolos fuisse, aut deinceps futurum esse, quantam in Reverendo Viro D. M. Luthero conspeximus, non sine ingenti donorum Dei admiratione; nec dubito, quin pia posteritas idem iudicatura sit, senibus, qui nunc Ecclesias regunt, ex hac mortali vitâ evocatis. Hæc Ambsdorffius. Cui consonat prorsus *Urbanus Regius*, insignis fidei in Synodis & conventibus *Wormatiæ, Smalcaldiæ, & Hagenoæ* Confessor, ac præcipui commatis Theologus, ad Amicum quendam Augustæ ita perscribens: *Talis ac tantus est Theologus Lutherus, ut nulla secula habuerint similem. Hoc magis execror stultitiam & arrogantiam Carolstadianorum, qui sibi placeat, quasi Luthero queant conferri, cujus umbram non assequuntur cum omni eruditione, quam jactant. Major est Lutherus**

Lutherus, ait idem Regius in Epist. ad Fratres superioris Germaniæ,  
 quam ut à quovis sciolo possit, aut debeat judicari. Vide qua magnifica Dei  
 gratia sit in hominis Scriptis, cujus certè me non pudet. Dicam, quod sen-  
 tio, scribimus quidem passim & tractamus Scripturas, absit invidia verbo:  
 sed Luthero collati discipuli sumus. Hoc iudicium non ex amore fluit,  
 sed amor ex iudicio. Neq; verò aliter de Luthero iudicavit Erasmus,  
 at quantus in Papatu Theologus, & Criticus! etsi Lutheri adverla-  
 rius: De quo Philippus testatur in Præfat. Tom. III. Oper. Latin. Lu-  
 ther. qui ad similes aliorum censure etiam provocat; Scio Erasmum  
 solitum dicere, neminem esse interpretem dexteriores omnium, quorum  
 extant literæ post Apostolos. Et audivi ipse sapientes & graves viros, &  
 doctrinam Ecclesiæ intelligentes idem de Luthero prædicare: nec obscura  
 res est, iudicium & rationem in lectione adhibenti. Cum Legati Pontifi-  
 cii Caracciolus, & Hieronymus Alcan dius, Erasmo infulam Episcopa-  
 lem promitterent, si adversus Lutherum scribere voluerit, hoc respon-  
 sum ipsis Coloniae ad Rhenum reddidit: Scripta Lutheri ita autoritate  
 divinarum literarum munita esse, ut id præsumere minime ausit, imò Lu-  
 therum tantum esse virum, ut ex scripto ejus, utut exiguo, plus discere pos-  
 sit, quam è toto Thomâ. Hæc utpote verissimè dicta, repetere, ex occa-  
 sione, nunc commodum fuit, ubi Serenissimi & Potentissimi Electoris  
 Saxonici Domini, Domini JOHANNIS GEORGII II. Domini, & Nutritii  
 Nostri Clementissimi, verè Heroicâ Pietate, ac devotione nunquam satis  
 laudandâ, æternâq; memoriâ dignissimâ instigante, memoriâ sum-  
 mi istius beneficii, quod per Angelum per medium Ecclesiæ cœlum  
 volentem, nobis ante sesquiseculum præstitit DEUS, religioso, gra-  
 toq; animo recolimus, de quo Episcopus paulò ante laudatus ita mo-  
 nuit: Hæc cum ita sint, certò nobis persvadeamus, Virum Dei, & postrema  
 ætatis Eliam, D. Martinum Lutherum, præcipuè ad hoc officium divinitus  
 excitatum fuisse, ut AntiChristum Romanum illiusq; immensam turpitudi-  
 nem toti Ecclesiæ patefaceret, quâ cognitâ, haud dubiè à vobis & iste in plu-  
 rimorum piorum pectoribus de gradu dejicitur, & spretus sine honore ja-  
 cet. Hoc beneficium, videlicet patefactio AntiChristi, longè majus est,  
 quàm ut Angelorum & hominum eloquentiâ satis enarrari possit. Nisi e-  
 nim ministerio D. Martini Lutheri, homo peccati & filius perditionis reve-  
 latus esset, impiè ac tetrè cum summâ temeritate & impudentia, Diabo-  
 lum & AntiChristum adorarem, & una cum ipso in stagnum ignis ar-  
 dentis

dentis precipitaremur, ut Johannes in Apocalypsi cap. XX. inquit. Quæ si pie expenderent Novatores moderni, nunquam profectò Papatum Romanum ab hæresi & erroribus Orco Stygio dignis absolverent, nunquam Syncretismum & fraternitatem cum iis, qui poculo Meretricis Babylonicae inebriati sunt, svaderent, ac consulerent.

Sed ut è diverticulo, non tamen inutili, in viam redeamus, *Compendium SCHOLASTICUM* dicimus, non quod ex impuris *Scholastica*, quam vocant, *Theologiae* lacunis, sed quod è fontibus Israelis limpidissimis hauritur, ac methodo in scholis receptâ, naturæ Theologiæ convenienti, & ad docendum aptâ exhibetur. Qualia extant plurima, quædâ etiam tum ob *tractandi modum*, tum ob *expositionis rerum Theologicarum dexteritatem* laudem merentur: quemadmodum & *Majorum ejusmodi Systematû* Locorum Theologicorû non pauca, per Dei gratiâ, Ecclesiæ consecrata sunt: de quibus in *Proæm. Systematis nostri* dixim⁹.

Juxta hanc *triplicem Institutionum Sacrarum rationem* operas nostras Theologicas ita distribui hætenus, ut primum quidem *ECCLESIASTICUM Compendium*, *Augustanam Confessionem*, & juxtâ eandem *Synopsin Controversiarum fidei*, quæ nobis cum *Socinianis, Arminianis, Pontificiis, Calvinianis, Syncretistis, Novatoribus*, aliisq; heterodoxis intercedunt, secundâ vice hic editam, in aliis Academiis, publicâ etiam autoritate propositam, *explicando* pariter, & *disputando* proposuerim: uti ob illustrationem uberiores Symboli illius Augustissimi, *EXEGETICA Augustane Confessionis Rostochii* ante hos xxxii. annos disputationibus publicis exhibitum, revisum, & multis modis, imprimis adversus *Syncretistas Pontificios*, in principe Articulo de *justitia fidei & meritis operum*, locupletatum, denuò studiosæ juventutis bono, hic publicari feci. Quo conciliationes *Belialis*, vel *AntiChristi cum Christo*, *Fratrû Walenburgiorum, Hugonis Grotii*, & aliorum, etsi speciosas, vanas tamen, maximèq; perniciosas esse luculenter ostendi.

Dehinc verò *ne plenior* desiderantibus fidei adversus heterodoxos ex unico S. literarum principio, demonstrationem, juxta methodum Theologiæ *SCHOLASTICÆ* institutam, deessem, suscepi *Apodixin* ejusdem è *classicis Scripturæ locis*, cum *ἀναλύσει* contrariorum in speciem dictorum, ut ita *Theologiam Apodictico Elencticam* exhiberem. In qua id actum sedulò, ut, quod præcipuum est in solidâ demonstratione *Biblicâ*, è visceribus ipsis textuum sacrorum, *et in ortho-*



nam adstruerem, & quomodo nusquam præsidium inveniat heterodoxis, ostenderem.

Id ergò nunc superesse videtur, ut *Compendium BIBLICUM* quoque, divino munere, sistam: *Ad Scripturam enim, ad Scripturam S. Theologiæ*, hoc est, *S. literarum cultores* reducere, unica mihi cura, labor unicus est; etsi *testes veritatis ex antiquâ Ecclesia* non negligam, aut insuper habeam. *Nihil enim, Bonaventura III. Sentent. dist. I. q. I. art. II. dicente, nobis dicendum est, præter ea, quæ nobis ex sacris eloquiis clarent: Et quicquid non descendit de monte Scripturæ, Biele I. IV. sent. dist. I. q. I. ex Hieronymo monente, eadem facultate rejicitur, quâ asseritur. Nobis in S. literis UNICA est credendi pariter & vivendi regula præscripta, decernit ipsum Jus Pontificium C. nec sufficere. II. X. q. I. Nullum autem in universâ Scripturâ, ut dixi, luculentius, nullum exquisitius, nullum methodi divinæ dexteritate præcellentius, reperire est Compendium, Epistolâ Doctoris gentium laudatâ: Quam non meis, sed B. Lutheri verbis hic commendare gratamq; reddere juvat: Diese Epistel ist das rechte Hauptstück des Neuen Testaments / und das allerlauterste Evangelium / welche wol würdig / und werth ist / daß Sie ein ChristenMensch nicht allein von Wort zu Wort auswendig wisse / sondern täglich damit umbehe / als mit täglichem Brod der Seelen / denn Sie nimmer kan zu viel und zu wol gelesen werden / und ie mehr sie gehandelt wird / ie kräftiger Sie wird / und baß schmecket. Ita judicavit Theander sub initium Præfationis laudatæ: Et sub calcem Præfationis ejusdem hæc cedro dignissima habentur, ex parte antea adducta: Also finden wir in dieser Epistel auff's allerreichlichste / was ein Christe wissen soll / nemlich was Geseß / Evangelium / Sünde / Straffe / Gnade / Glaube / Gerechtigkeit / Christus / Gott / gute Werck / Liebe / Hoffnung / Creuz sey. Und wie wir uns gegen Jederman / er sey fromb oder Sünder / Starck / oder Schwach / Freund oder Feind / und gegen uns selber halten sollen. Dazu das alles mit Schrifften gegründet / mit Exempeln sein selbst / und der Propheten beweiset / daß nichts mehr hier zu wünschen ist. Darumb es auch scheint / als habe S. Paulus in dieser Epistel wollen einmahl in die türcke verfassen die ganze Christliche / und Evangelische lehre / und einen Eingang bereiten in das ganze Alte Testament. Denn ohne zweiffel / wer diese Epistel wol im Herzen hat / der hat des Alten Testaments Licht und Krafft bey sich.*

Darumb

Darumb lasse ste ein jeglicher Christen in gemeine seine stetige Übung  
 seyn. Hæc eleganter B. Lutherus, quibus nihil verius dici poterat.  
 Proposui ante XXX. circiter annos in Academiâ Regiomontanâ  
 auditoribus meis ex Catechesi istâ S. Paulo dignissimâ THEOLO-  
 GIAM APOSTOLICAM ROMANAM, quam disputationibus publi-  
 cis deinde ventilandam Dentisci exhibui. Eâ Oraculis XXCH. Theolo-  
 giam Nostrâ adversus varias corruptelas Pontificiorum, Socinianorum,  
 Calvinianorum, aliorumq; Heterodoxorum luculenter adfertam esse non  
 dubito. *Depravationis autem Grotiane* instar, quæ tum noviter prodi-  
 erat, ex hæc Epistolâ, quâ articulum fidei principem, de Justificatione  
 pessimè corruptit πολυπεδάγμων ille, egregiè Socinizans, & Papizans  
 in dedicatione præmissi. Nunc v. denuò, sed *justâ analysi*, nec non ad-  
 versus corruptelas cum veterum, tum recentiorum hæreticorum, ac  
 Syncretistarum adfertione solidâ ita vindicanda erit INTEGRÆ Epi-  
 stola, ut *Lutherana* fides, ac doctrina demonstretur esse verè *Aposto-  
 lica, uniceq; salvifica*. Quod præmissis quæstionibus præliminaribus,  
 sed ad intellectum sensus Apostolici maximè necessariis, ad diem  
*crastini horâ IX. nobis ordinariâ publicè in majori aroaterio* aggressu-  
 rus, seduloq; cum DEO, continuaturus, vestram Cultores S. literarum  
*eximii*, tantò magis polliceor mihi frequentiam, quantò fructuo-  
 sius collocabitur hæc Sacra Opera. Non dictabo modò ad calamum,  
 quæ dicenda erunt: sed per discursum expediam plurima. Nimis  
 utiq; prolixum istud foret. Et semper ita statui, non id *Professorum*  
 esse, dictare solùm: hoc enim, à *quolibet terra filio* fieri posset. Daturus  
 a. operam sum, ut paucis complectar multa, utq; dicendorum copia,  
 (valdè enim dives est hæc Epistola, quæ divitias bonitatis divinæ inex-  
 haustas nobis aperit) nervosâ brevitate comprehendatur. Cæterum  
 svadeo sedulo, ut cum *Exegema August. Confessionis*, tum *Theologiam*  
*Apostolicam Romanam* conferant, qui uberiori fructu hisce commen-  
 tionibus nostris uti voluerint. Nam eò remitemus Dominos Au-  
 tores frequenter, ne quæ illic dicta affatim sunt, & ad illustrationē  
 ejus Epistolæ faciunt, repetere opus habeamus. Tu verò vide PA-  
 TER, cum S. Augustino precor l. Confess. XI. c. 2. *aspice, & vide, & ap-  
 proba, & placeat in conspectu misericordie tue, invenire me gratiam an-  
 te te, ut aperiantur poscenti mihi interiora sermonum tuorum. Obsecro*  
*per Dominum nostrum Jesum Christum, virum dextera tue, in quo sunt*  
*omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Ipsum quæro in libris tu-*  
*is. Amen.* P. P. Witebergæ Dn. XXI, Trinit. Anno clc lcc LXVII.

Ung. VI 58 (10)

ULB Halle 3  
002 686 287




Sb,

VD17  
Sep. 2000 Pd.







B.I.G.

Farbkarte #13



N. J. 17

INES PUBLICAS  
S. THEOLOGIÆ  
NDIUM,  
OLAM  
MANOS,  
DICIT  
CALOVIUS D.  
IRCULI ELECT.  
TEND, GENERALIS.  
horâ IX.  
terio Majori  
oandas.

---

EBERGÆ  
NIS BORCKARDI.  
DC. LXVII.

